



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 122. Epistola Erasmi ad Stunicam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul XVI.
A. C. 1529.

§. CXXII.

Epistola Erasmi ad Stunicam.

Insuper eodem hoc anno die nona Junii scripta reperitur Erasmi Epistola ad Jacobum Lopidem Stunicam in Universitate Complutensi Theologiæ Doctorem. Hic enim adversus docti hujus Viri *annotationes in novum Testamentum* calamum suum acuit, atque aliud quoddam opusculum edidit, cui titulus: *Blasphemica, & impietates Erasmi &c.* In eo quasdam collegit propositiones, quæ liberiori calamo scriptæ in libris Erasmi reperiabantur, ejusque Auctorem Ecclesiæ Magistratibus exosum reddere poterant. Equidem hunc librum evulgari Leo X. Stunicæ inhibuit, factamque illius prohibitionem Adrianus VI. ejusdem Successor confirmavit, nihilominus multo post tempore hic liber clam typis editus in lucem prodiit, atque Erasmus illum confutare compulsus fuit; id etiam præstitit scripta apologia, qua ostendit, quod Stunica ei vel falsa affingat, vel veras illius opiniones sinistra interpretatione corrumpat. Attamen elapso aliquo tempore Stunica librum, cui titulus: *Prodromus*, necnon alia duo edidit opuscula, quorum primum hunc titulum præferebat: *Conclusiones principales suspectæ & scandalosæ, quæ reperiuntur*

in

in libris Erasmi Roterodami per Jacobum Sæcul. XVI.
Lopidem Stunicam excerptæ. Altero au- A.C. 1529.
 tem Stunica comprobatum reddidit,
 quod antiquus sacri Codicis Interpres
 illis nævis careat, quibus eum scaterere
 Erasmus observavit. Extat adversus
 hasce conclusiones apologia Erasmi,
 qui sub idem tempus apologeticam scrip-
 sit Epistolam, de qua hic agimus; hæc
 enim veluti confutatio erat postremi
 tractatus, quem Stunica evulgavit.

§. CXXIII.

*Alia Erasmi opera adversus Caran-
 zam & Staudicium.*

Cum Caranza affirmaret, quod Eras-
 mus in suo responso vim illorum
 textuum, quibus Christi Divinitas ad-
 struitur, infirmasset, hinc Erasmus hoc
 probrum diluere statuit, atque apolo-
 giam, quæ in nono operum suorum to-
 mo exstat, concinnavit. Pariter Stau-
 dicius Angliæ Episcopus, necnon Lo-
 vanii Nicolaus Egmend Ordinis Car-
 melitarum & Theologiæ Professor Eras-
 mum carpebant, quod quemdam sacræ
 Paginæ locum perperam interpretatus
 esset. Hic textus respiciebat mortuo-
 rum resurrectionem, de qua in Græco
 ita legitur: *Non dormiemus omnes somno
 mortis, sed immutabimur omnes, cum ta-
 men*

*Erasmus in
 hunc locum:
 Omnes qui-
 dem resurge-
 mus. tom. 9.
 operum.*